

VII. Indicare enim volebat iudices velut cedros sedere in iudicio debere: quæ enodes sunt et rectissimæ, solidissimæ et quasi osseæ; denique cariem, tineam et vetustatem non admittunt.

V. Non hebetandus auro gladius justitiæ. Ita præcipitur Exodi XXIII. *Insonem et justum non occides, quia aversor impium: nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes et subvertunt verba iustorum.* Accedit Ecclesiasticus, c. VIII. *Multos enim perdidit aurum, inquit, et argentum, et usque ad cor regum extendit et convertit.* Quod si reges etiam pervertit aurum donatum, quanto magis minores iudices? Ursum, ait Lyranus ibi, si laminam splendentem aspiciat, obcæcari: sic cæcantur iudices, proposita sibi aurea lamina, ne veritatem in iudicando aspiciant. Rursum Isidorus, libro XVI. capite II. ait, ursum, si in os ejus vitrum immittatur, vim omnem mordendi amittere. Idem præstat aurum iudicibus in bursam injectum, ne pronuntient veritatem. Quamobrem veteres pinxerunt imagines iudicum absque manibus, et summi iudicis oculos conniventes, eo quod justitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur, ut scribit Plut. l. de Iside. Moyses et Aaron virgas gestarunt, indices regiminis; sed aridas, quæ ex terra nihil humoris attrahere poterant. Tales sint et iudices: nihil emolumenti trahant ad se ex partibus litigantium. Audiant alioquin comminantem sibi Deum Isaïæ V. *Væ qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam iusti aufertis ab eo.* Quo loco inter plures comminationes hanc postremam dirigit in iudices; quemadmodum etiam Moyses in monte Habal maledictiones plurimas ejaculans in peccatores, postremam jactat in munerum susceptores: *Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen,* Deuteronomii XXVII. quasi isti ultimam iniquitatis lineam attigissent; idcirco ultimo maledicti. Qui et principes etiam gentiles graviter animadverterunt in officiales suos, munerum acceptores; uti Alexander Severus imp. qui palam edici iussit, ne ullus qui in magistratu munera acciperet aut aliter aliena rapere, coram se appareret, convictosque hujus delicti capite se mulctaturum dixit: quin et si furem hujusmodi vidisset iudicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret; unum etiam e servis suis cruci affigi iussit, quia centum aureos nummos, propter

navatam alicui in aula sua operam, acceperat Fulgos. libro VI. capite III. ex Lampridio. Merito excæcavit eos, qui muneribus prius excæcari voluerunt. Notum illud Cambysis, Persarum regis terribile iudicium, quo iudici iniquo et muneribus corrupto pellem detrahi, eaque tribunal iudicum insterni præcepit. Jure etiam iste iudex pellem suam amisit, qui munera capiendo pellem pauperibus detraxit. « Nuper in Saxonia quidam Decretista nominatus, inquit Cæsarius, libro XI. hist. capite XLVI. mortuus est: qui cum hiaret, lingua in ore defuncti non est inventa. Et merito linguam perdidit moriens, qui illam sæpe venderit vivens. » Quia: « Non licet iudici vendere iustum iudicium, » ait S. Augustinus, ut refertur XI. q. III. E contra in eadem lingua iustus quidam iudex, licet ethnicus, miram accepisse a Deo remunerationem scribitur a Petro de Palude, in IV. sentent. apud S. Antoninum, in summa theol. p. II. t. I. c. X. in hæc verba: « In Francia, dum quidam foderet in agro suo, invenit humanam linguam, vivam, loquentem. Et interrogatus quis esset, respondet fuisse hominis pagani, qui iudex fuerat, a diu in paganismo mortuus et sepultus: et quia nunquam dederat sententiam iniquam, ideo Deus reservaverat illam animam in illo membro suæ linguæ, quousque baptismum reciperet. Unde rogavit, quod significaret hoc episcopo loci, ut veniret ad baptizandum eum: et hoc esset signum veritatis prædictorum, si ipsa lingua baptizata subito in pulverem reverteretur. Advocatur itaque episcopus cum clero et populo: et post locutionem ipsius linguæ de prædictis, coram omnibus baptizata, subito resoluta est in pulverem. » Non potuit lingua hujus corrumpi a vermibus: quia nunquam potuit corrumpi muneribus. De his et Isaïas, c. XXXIII. ait: « Qui ambulat in justitiis et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia et excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum: iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est: aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe, » h. e. sublimis et honoratus erit in Ecclesia, sustentationem quoque vitæ habebit sufficientem, denique Deum in cælo videbit, et inde terram hanc aspiciet, et velut punctum ac nihilum respiciet.

IN FESTO S. ÆGIDII.

CONCIONES.

- I. *Mirus venator S. Ægidius.*
- II. *Quomodo colendus noster patronus S. Ægidius.*
- III. *Lac cervæ Ægidianæ salutare.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Mirus venator S. Ægidius.*
- II. *Quomodo colendus noster patronus S. Ægidius.*
- III. *Lac cervæ Ægidianæ salutare.*

CONCIO I.

MIRUS VENATOR S. ÆGIDIUS.

- I. Fugiendo prædam cepit. — II. Prædam e retibus suis exclusit. — III. Vulnera non inflixit, sed accepit. — IV. A cervæ non nisi lac accepit. — V. Pauperibus loco canum prædam comprehendit.

THEMA.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.
Gen. X.

Cervorum venationi hodierna Sancti Ægidii dies, communi venatorum lege, finem imponit, ideoque venatorum quin et cervorum patronus habetur. Et jure quidem meo iudicio. Nam ipse in silvis una cum cervæ vixit, ejus lacte se pavit, a canibus eam defendit, denique velut venator precibus et sanctitate sua cepit, cicuremque reddidit, ut vere ipsi applicare possimus illud proverbium, Gen. X. *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.* Fuit Nemrod robustus venator, sed magis coram Deo: cujusmodi venatores plerique sunt in mundo, qui temporalia bona venantur. Atqui S. Ægidius vere *coram Deo robustus venator* fuit, qui prædas suas non in terra, sed in cælo indagavit; unde factum ut non solum cum viveret, coram regibus in honore esset, sed et nunc post mortem coram Deo et omnibus cælitibus, adeoque toto mundo. Verum ut hanc prædam assequeretur, non venatorum hujus sæculi, sed aliam longe, ac contrariam venandi rationem tenuit, ut videbimus.

I. Venatores alii persequendo capiunt feræ; sed non ita Sanctus Ægidius, qui fugiendo prædam cepit. Venatores mundi miro modo laborant, ut gloriam sibi parent, sed non assequuntur, nisi forte vanam et momentaneam coram paucis. S. Ægidius fugiendo vanam gloriam, comparavit sibi veram et immortalem gloriam: Con-

temne gloriam et eris omnibus gloriosior, ait S. Chrys. hom. IV. in Matth. Honor est instar timidi canis: insequeris illum, fugit: fugis illum, insequitur. Sic honor episcopalis S. Silvestrum, Gregorium, Augustinum, fugientes secutus est: fugit alios insequentes. Hanc ad honorem consequendos viam, fugam scilicet docuit nos Christus, dum ne raperetur ad regiam dignitatem, fugam cepit: inde exaltari meruit et accipere nomen super omne nomen. Hunc secutus noster Ægidius, magnus coram Deo et hominibus evasit. Solent feræ cum in latibulis suis deprehenduntur a venatoribus, alio migrare: uti leæna illa, quæ in antro quodam a Malcho monacho inventa, illico catulos suos mordicus prehensos in aliam specum tulit, teste D. Hieron. in vita ejus. Pari modo S. Ægidius, e regia stirpe factus humilis, ubi miracula patrare fama que coruscare cepit, ne stygio venatori præda ipse fieret, mox alio se contulit: Athenis in Galliam ad S. Cæsarium; inde ad Veredemium eremicolam: ubi rursum proditus, inde in densissimam eremum, ad Rhodani ostium confugit. Moyses a filia Pharaonis Thermut, nupta sed sterili adoptatus et regie educatus ut esset, regni hæres, quid egit adhuc puerulus? Coronam a rege sibi comiter impositam de capite prolabi passus pedibus calcavit, teste Josepho, l. II. antiquit. c. V. Grandior autem factus profugit ex aula ad Hebræos, inde in Madian. negans se filium Pharaonis (ex Philone I. de Moyse, et apostolo ad Hebr. XI.) eligens magis affligi cum populo Dei, ibique dum honorem fugit, ad maximum evectus, et Deus Pharaonis constitutus est. Hæc igitur via, hæc industria est venandi veros honores, fuga honorum, quam tenuit et Ægidius.

II. Venatores alii feræ in retia cogunt: S. Ægidius e contra prædam a retibus suis exclusit atque eiecit. Ridetur in proverbio simplex quidam rusticus qui in venatione vulpium lepores

reti implicitos ejecit dicens, non institutam venationem pro leporibus. At hoc egit S. Ægidius, sed omnino sapienter. Nam opes et munera sibi a rege Clodovæo amplissima oblata aversatus respuit ac rejectit, monens regem, ut ea egenis potius aliis conferret, vel inde monasterium conderet, in quo servos Dei cœlestibus ornandos disciplinis congregaret. Periculosa præda sunt munera, quæ capientes se capiunt, ad instar illius arcæ ornatissime et elegantissime elaboratæ, quam Typhon Osiridis, regis Ægypti, frater et eum capiendum regnoque exuendum fieri curavit ea longitudine, qualis erat Osiridis. Hanc enim in convivio inter pocula allatam cum convivæ admirarentur, promisit Typhon se dono daturum illi, qui longitudinem ejus exæquaret. Cumque varii subintrassent, nullique quadraret, Osiridis tandem et ipse in eam procubuit. Mox Typhon cum subornatis suis operculo arcam clausit, clavis affixo et plumbo liquido superfuso, fratremque inclusum in Nilum projecit, Plut. in Osiride. Hunc in modum munera sortiter alliciunt, ut in causam offerentis turpiter te dimittas; sed dum offeruntur, auferunt: dum capiuntur, capiunt. Sentit id Balaam ille, quando legati Balac ad eum venerunt: *Habentes divinationis pretium* (Hebr. habetur divinationes; quia scilicet ipsa pecunia incantare solet eum, cui offertur) *in manibus*. Ea enim illecebra tandem victus malum dedit consilium regi Balac contra Hebræos, Num. XXIV. sed sibi pessimum; quia inter Madianitas ab Hebræis occisos et ipse occubuit. Quicumque igitur sapuerunt, munera excusserunt, quod præstitit noster Ægidius, exemplo magni illius Abrahamæ, qui oblatam sibi prædam a rege Sodomorum, licet sua manu ab hostibus recuperatam, respuit, ita ut nec filium subtegminis, aut corrigiam caligæ, seu minimum quidpiam accipere vellet, ne dicere posset rex: *Ego ditavi Abraham*, Gen. XIV. Quare in mercedem tantæ continentiæ, mox illi Deus dixit, cap. seq. *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis*.

III. Venatores alii vulnerando, jaculando, et venabulum insigendo prædam venantur. Contra S. Ægidius vulnus accipiendo, idque purulentum conservando, et medicinam respuendo coronam in cœlo sibi comparavit. Venatores mundi prædam ex vindicta et jugulatione quærunt; sed nil assequuntur nisi perniciem et ignominiam suam. Sic Pharaon, dum insequitur Hebræos dicens: *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, dividam spoliis, implebitur anima mea, etc.* demergitur cum exercitu suo in abyssum maris, Georgius Fraispergius hæretic. Caroli V. inter Germanos milites in Italia dux, laqueum unum inau-

raturum in sinu secum Romam gestavit, quo summum pontificem, alios purpureos, quibus cardinales manu sua suspenderet, quod erat comminatus; spe tamen sua delusus, in paralytin incidit, Jovius, lib. VI. elogior. viror. bellic. Non hoc Christus docuit, sed e contra: *Mitto vos sicut oves in medio luporum*, ait: item: *Non veni pacem mittere, sed gladium*, Matth. X. non ad insigendum, sed ad excipiendum, uti mox explicat. Hanc doctrinam secutus est S. Ægidius, vulnus ita accipiens, ut curari nollet. Secutus Simeon Stylites, qui cum in penam alicujus levis peccati per annum in uno pede stetisset vulnus accepit in femore vermibus scatens, ita ut inde excidentes subinde in terram caderent. Quid ille? Jussit sibi eos iterum sursum porrigi, et reposuit in ulcus dicens: *Manducate, quod vobis dedit Dominus*, ut refert Antonius ejus discipulus apud Rosweid. in vitis pp. Conformiter illi, quod habetur Habacuc III. *Ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat* (scilicet vermibus) *ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum*, id est, ad sanctos in fasciculo viventium colligatos, quasi diceret: Vermes illi devorabunt peccata mea: et lectum mihi in cœlo suavissimum parabunt, plumarum instar futuri.

Quare si quis te vulneravit sagitta alicujus probrî, contumeliæ, derisionis, detractionis, etc. si te ipsum vindices, aut famam tibi restitui contendas: si læsus forte in corpore, vel fortunis tuis, par pari referas aut damnum tibi resarciri facias, lucraberis aliquid in terra, sed perdes aliquid in cœlo, quod alioquin lucratus fuisses, longe excellentius. Vicissim si injurias patienter feras, parum aliquid damni accipiens in terra, et prædam ingentem comprehendens in cœlo. Hinc apost. I. Cor. IV. reprehendit Corinthios, quod judicio contendant, et quidem apud infideles addens: *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?*

IV. Venatores alii feras occidunt et devorant, ut S. Ægidius lac solum a cervæ accepit, ipsam innoxiam servavit, et a canibus tutatus est; lac cervæ hausit, non sanguinem. Venatores pecuniarum subditos suos exactionibus exhauriunt, nec tendent solum oves, sed et deglutiunt, quod Tiberius Cæsar gentilis provinciarum suarum præsidibus prohibuit, apud Sueton. cap. XIII. Severe olim vetuit Deus sanguinem comedi, Gen. IX. Deut. XII. *Hoc solum cave ne sanguinem comedas*, quia voluit Deus abstergere homines a pauperum oppressione. Qui enim nimis eos premunt, sanguinem eorum sugunt; (quia sicut vita conservatur sanguine; sic et rerum substantia), imo exsugunt etiam illis salutem animarum dum co-

gunt eos blasphemare, furari, prostituere corpus. Unde Gen. IX. sanguis ille vocatur *sanguis animarum*; cum alioquin anima sanguinem non habeat: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*. Et si de manu bestiarum, (uti Exod. XXI. ubi bovem homicidam jussit lapidari) multo magis de manu hominum. Sane David aquam illam, quæ a tribus viris cum periculo vitæ eorum ipsi conquisita et allata fuit, effudit, nolens bibere; quod putaret se eorum sanguinem bibere: *Propitius mihi sit Dominus, ait, ne faciam hoc. Non sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, et animarum periculum bibbam?* II. Reg. XXIII. Atqui pauperes nimium premit, cogitque afferre sudorem lac victimæ suam, nonne sanguinem eorum et animarum periculum bibit, dum vel ad desperationem, vel ad execrationes, vel ad prostitutionem corporum, vel ad furta eos impellit?

V. Venatores alii canibus comprehendunt feras: ut S. Ægidius pauperibus usus pro canibus, prædam in cœlo comprehendit. Notus est ex insigni facto, et a nobis alibi etiam celebratus, non tamen omnino hic prætereundus Amedæus III. Sabaudia dux, qui ab oratoribus apud se morantibus interrogatus, an et canes venaticos haberet, respondit: *Cras eos vobis exhibebo*. Interim de more ingentem pauperum turbam cogit eis quoque cibos dari mandat, tunc ait oratoribus: *Hi sunt canes mei* (pauperes monstrans) *quos alo quotidie, quibusque spero me gloriam cœlestem venaturum*, Bzovius, an. 1472. His iisdem canibus Ægidius cœlum venatus est. Multo certiores sunt hi canes, quam venatici alii, qui et prædam saepe non assequuntur, et quandoque apprehensam dominis non servant aut afferunt, sed ipsimet devorant. Divites amici in quos opes tuas confers, infidi tabellarii sunt: pauperes fideles sunt, teste S. Laurentio, cum tyranno dixit: *Facultates, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt*. Mundus ea, quæ pauperibus dantur, perdita esse putat, sed fallitur; quod docet nos idem S. Ægidius, qui duo ostia cypressina, in quibus imaginès apostolorum erant affabre facta, a papa Romæ impetrata, misit ibi in Tiberim, omnibus id spectantibus non solum admirantibus, sed etiam stultitiæ virum sanctum arguentibus. Verum ubi is terrestri itinere domum rediit, in suo adventu nuntiatur ei duo illa ostia in portu fluminis ante monasterium ipsius hære. En per tot maris interjecti spatia, per tot tempestates et scopulos deferuntur Ægidio ostia, vastissimo mari commissa, angelorum utique ductu; idem expecta de pauperibus, qui datam sibi elemosynam secure ad cœlum deve-

hent. Hoc est, quod Eccles. cap. XII. suavit: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa invenies illum*. Mittuntur signa in fluvios et denatantia colliguntur in rastro. Idem fit cum elemosyna: in die rationum invenies eam in rastro judicii divini, quod intercipient et trastrabit omnes mortales.

Atque hæc est venatio, jucunda simul et utilissima ars, quam vobis auditores suadeo. De B. Macedonio scribit Theodoretus Cyri episcopus, in vitis pp. inventum eum aliquando in solitudine a quodam duce venationi incumbente, atque interrogatum, quid ille ageret? Quem vicissim Macedonius: Quid ipse illic moliretur? *Venaturus*, inquit, *huc veni*, et Macedonius: *Et ego venor hic Deum meum; et capere eum cupio per contemplationem, nec ab hac pulchra venatione unquam cessabo*. Idem nos dicamus: Non cessemus a venatione nostra, donec prædam in cœlo consequamur.

CONCIO II.

QUOMODO COLENDUS NOSTER PATRONUS S. ÆGIDIUS.

I. Confugiendum ad eum in necessitatibus. — II. Honore prosequendus. — III. Elemosynis colendus in pauperibus clientibus.

THEMA.

Cervæ charissima: ubera ejus inebriant te in omni tempore. Prov. V.

Majores vestri auditores, haud dubie non absque magnis rationibus S. Ægidium in protectorem hujus urbis elegerunt. Si enim percurramus ejus vitam, reperiemus eum, dum viveret, communem quasi omnium afflictorum fuisse protectorem. Protector fuit pauperum, quando illis distribuit suum patrimonium: protector navigantium, quando suis precibus eripuit eos a naufragio, sibi imminente: protector agrotorum, quando eos sanavit ad se currentes: protector peccatorum, quando Clodovæo regi suorum nequitiam peccatorum et penitentiam impetravit: protector denique etiam ferarum, quando cervam, cujus lacte subinde sustentabatur, a canibus agitatam et ad se confugientem tutatus est ab injuria. Bonum itaque et magnum protectorem ac patronum habetis, o Græcenses. Verum bonus patronus bonum etiam clientem quærît. Nos ergo si ejus protectione frui et gaudere volumus, demus operam necesse est, ut boni ejus clientes simus. Hoc vero quis docebit nos? Cervæ Ægidii: si enim hæc obsequia ei exhibeamus,

quæ cerva ipsi præstitit, boni ut spero, clientes erimus, juxta id Prov. V. *Cerva charissima, ubera ejus inebrient te in omni tempore.* Multi non sântur nisi plane inebrient se. Hic datur vobis occasio simul et licentia, bibendi ad ebrietatem usque, sed ab uberibus cervæ.

I. Cerva S. Ægidii ad ipsum velut ad tutorem suum in necessitate recurrit. Cum enim a canibus agigaretur venaticis præpeti fuga cellam ejus petiit, et trepida ac solito mœstius mugiens ante ejus pedes se provolvit, ut cujus humanitatem diu experta fuerat, ejus ope a præsentis periculo liberaretur. Sic omnino decet nos in nostris necessitatibus confugere ad protectorem et patronum nostrum. Cum enim sancti aliqui in patronos eliguntur, non dubium, quin suorum clientum singularem tutelam habeant: decet igitur clientes, ut in suis necessitatibus ad ipsos imprimis recurrere suum habeant. Displiceret jure merito medico perito et celebri, si homines civitatis, cujus ipse medicus est cooptatus, ipso neglecto currerent ad alios longe dissitos, licet alioquin juxta se et alios consuli non ægre pateretur. Sanctus noster Ægidius, cum in terra viveret quoscumque morbos miraculo sanavit: quid jam in cœlis sanare non poterit? Tametsi ergo ad alios quoque sanctos in nostris necessitatibus possumus recurrere; non decet tamen ut patronum, quem ipsi elegimus, in hoc prætereamus. Vixit in Syriæ eremo S. Hilarion, discipulus S. Antonii, sanctitate et miraculis magistro suo non impar. Quando ergo Syri excurrerunt pro impetrandis gratis et sanitatibus usque in solitudinem Ægypti ad S. Antonium, dicebat illis Antonius: *Quare vos tam longe vexare voluistis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem?* In vita Hilarion. 21. oct. apud Sur. Idem opinari licet nobis dicturos sanctos alios, si præterito patrono nostro in ipsis solis spem reponeremus. Quamquam uti Antonius non repulit venientes Syros; ita sperandum etiam de aliis sanctis. Prima tamen precum instantia vel primaria saltem deferenda videtur loci patrono. At si præterea aliqui in suis morbis vel periculis, spreto Deo et sanctis ejus recurrere ad ariolos, magos et veridicos vellent; quanta quæso, hæc injuria foret? Nonne id exprobrandum illis diceres, quemadmodum Deus per Eliam exprobravit Ochoziæ regi Israel ægroto, mittendi ad Deum Accaron: *Numquid non est Deus in Israel, ut exeat ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* IV. Reg. I.

Gentilium mos fuit ponere lares seu tutelares deos suos post fores domorum suarum, eosque

cereis venerari ac lucernis, ut notat S. Hieronymus, in Isa. c. LVII. et Alexander ab Alexandro, l. V. Gen. c. XXXIV. Errarunt illi in hoc, quod fictitios deos pro vero coluerant. Non ita nos Christiani, qui sanctos non ut Deum, nec pro diis colimus, sed ut Dei amicos tantum et servos. Recte tamen faciunt omni Christiani, qui sancti tutelarum imaginem domi suæ habent, et certis temporibus venerantur accensis cereis. In usu apud eosdem veteres erat, ut in magna præsertim calamitate, deos suos funibus manicisque vincerent, ne discederent ab eis. Ob hanc causam Tyrii ab Alexandro M. obsessi Herculem vixerunt, apud Curt. l. IV. Lacædæmonii Martis statuas, Pausan. l. III. superstitiose isti, non tamen omnino stulte; quia patroni nobis devinciendi sunt, ne nos deserant in periculis; nos ergo precibus longe sanius et fortius eos alligabimus, quando aliqua nos premit calamitas.

II. Cerva illa ad Ægidii pedes provoluta jacuit, ut diximus. Ita docet nos honorare patronum nostrum velut omnium communem patrem. Ac primo, ejus festum solemniter celebrare, non secus ac si ab Ecclesia præceptum foret: quandoquidem patronorum festa ubique fere vim præcepti ex consuetudine habent. Sed jam ss. patronorum festa (quod dolendum) occasione nundinarum, quæ ob confluum hominum ad rem divinam instituebantur, in nundinas transierunt, ut passim cernere est. Admisit honesta matrona ancillam comptam in domum, quæ ubi placuit viro, domina domus facta est, et dominam ancillari fecit: sic contigit festivitatis ss. patronorum. Ad eorum ss. missas et laudes in concione audiendas confluerunt Christiani: occasione ejus confluvii nundinæ excitatæ sunt; quæ jam ita prævalent ut pietatem, fere extinguant, certe multum opprimant.

Secundo, ejus templum humiliter frequentare piis operibus. Placuit Magdalena Christo, dum ad ejus pedes sedit, eosque oculis, lacrymis et unguento perfudit, ut propterea ab eo magnopere commendaretur. Cur non placeat sanctis, si ad eorum domos et reliquias, (quæ quasi eorum pedes sunt) crebro confugiamus? Humili oratione, lacrymis et piis aliis operibus eosdem honoremus? S. Ægidius cervam ad pedes suos jacentem defendit a canibus et venatoribus: Christus Magdalenam ad pedes suos abjectam, a Pharisæo et et proditore eam allatante. Idem per virtutem Christi sibi communicatam præstare nobis possunt ss. patroni, et præstabant invocantibus.

Tertio, spectat etiam ad ipsorum honorem nomina eorundem indere filiis: quod sane antiquus Christianorum mos habet. Inde in Austria tot

Leopoldi, in Bohemia tot Wenceslai, Stephani in Hungaria, Galli in Helvetia et Suecia, Wibaldi et Walpurgæ in Eystetensi, Chilian in Herbipolensi, Udalrici in Augustano, Wolfgangi in Ratisbonensi episcopatu, etc. Per hoc enim videntur parentes devovere filios velle protectioni sui patroni, unaque ad illius cultum, venerationem et imitationem incitare. Nisi hoc placeret sanctis, certe S. Stephanus protomartyr non postulasset a conjugis regis Geisæ, ut filio nomen suum Stephani imponeret, nec S. Nicolaus episcopus matronæ Amatæ, ut filio (Nicolao Valentino) idem suum nomen inderet. Sed nunc fere potentum patronorum nomina quærentur filiis, quia fere etiam temporalia tantum, non æterna et cœlestia bona: hominum favores potius quam sanctorum; quasi vero divites plus boni conferre liberis possint, quam sancti. Male et imprudenter ageret, qui peregrinato filio daret baculum arundineum, et non potius solidum. Reprehenduntur Judæi quod in auxilio Ægypti confisi sint aliquando, velut in baculo arundineo, Isa. XXXVI. Hujusmodi autem baculi patrocinia humana sunt.

III. Cerva S. Ægidii statis horis ad eum venit, et lac ei porrexit. Quomodo nos in hoc facto cervam imitabimur? Num adhuc lacte aliquo eget Ægidius: eget sane in pauperibus hujus civitatis suæ clientelæ commissis. Quam multos ego in hoc ejus templo, singulis fere concionibus vobis auditores ejus nomine commendo? Cogitate me ex ore patroni vestri mendicare pro pauperibus. Vos divites estis, lacte redundantes. Quid enim divitum plena et cellaria, nisi turgentia ubera? Pauperes sunt Ægidius vester, desolati et famelici. Ecce putatis replentur fætæ matres, seu hominum, seu brutorum, nisi ut fætus alant? Et cur divites a Deo replentur bonis: nisi ut pauperes sustentent? Nescio quid matres responderæ sint Deo, quæ filios suos non lactant, cum ad hoc a naturæ auctore lac accipiant. S. Ambrosius, lib. V. hexam. multis-feris eas inhumaniores asserit. Et quid respondebunt divites, si ex tot bonis sibi datis non aluerint fratres suos pauperes, quorum gratia ditati sunt.

Ac licet vobis omnes universim pauperes commendatos velim, præcipue tamen eos cupio, qui honesto loco nati per inevitabiles calamitates inciderunt in pauperiem. Hi enim quasi in Ægidii antro et eremo latent, nec sine confusione prodire ad petendum necessaria possunt; similes miserero illi paralytico, jacenti ad piscinam, qui non poterat se juvare, sicut alii poterant; unde ait: *Domine hominem non habeo, qui mittat me in piscinam.* Idcirco Christus ipsius præ omnibus miseratus, sanitatem ei contulit, licet non rogatus.

Deinde, religiosos pauperes, qui vi professionis suæ Deo serviunt, adeoque manuum labore sibi victum parare nequeunt; qualis fuit S. Ægidius, cui proinde Deus per cervæ lac succurrit, quod certe non fecisset, si ejus vita sibi displicisset. At quemadmodum cerva frustra lac non dedit, sed ab Ægidio suo defensa est contra canes et venatores; itane dubitate, religiosi pauperes suis precibus vos ac urbes et fines vestros defendent contra hostium insidias. Testatur id Hermas Pauli discipulus, l. III. c. III. cum ait: *Sicut vitis ulmo fulcitur; sic dives oratione pauperis juvatur.* Justinianus imp. in novell. constit. CXXXIII. imperium, militiam, agros ipsos, et quid habent homines sæculares, per orationes conservari sanctorum eremitarum ait. S. Theresia etiam idcirco erexit monialibus monasteria, ut cum aliter non possint, precibus defendant rempublicam. Sic enim dixit Deus, Isai. XXXVII. *Protegam civitatem hanc (Jerusalem contra Sennacherib) propter me et David servum meum: cur non defendet istam propter plures servos suos? Obtulit S. Ægidio Clodovæus opes et munera, quæ ille respuit, et in pauperes alios eroganda consuluit: deinde, monasteriolum ei extruxit cum duplici ecclesia. Ægidius vicissim suis precibus impetravit regi alicujus sceleris penitentiam et remissionem. Idem expectandum a religiosis: vos date eis temporalia, illi dabunt vobis spiritualia.*

Sic erimus Sancto Ægidio *cerva charissima*; sic inebriabimus eum lacte nostro, ipse vicissim defendet nos a canibus, et venatoribus, hæreticis et dæmonibus: impetrabit nobis denique vitam æternam a cœlorum Rege.

CONCIO III.

LAC CERVÆ ÆGIDIANÆ SALUTARE.

Quia docet nos: — I. Quam bonum sit Dei præceptis per omnia obedire. — II. Quam obligentur divites ad faciendas eleemosynas. — III. Quam non deserat Deus eos, quæ ipsi serviunt, et qui aliquid ipsi dederunt. — IV. Quid in morte nobis eventurum sit. — V. Quorsum nobis in tribulatione confugiendum sit.

THEMA.

Cerva charissima: ubera ejus inebrient te in omni tempore. Prov. V.

Antiquus et celebris historicus Justinus, lib. XLIV. hist. suæ scribit Curetum (populi sunt in Creta insula) regem Habidem, in infantia expositum et lacte cervæ enutritum fuisse: *Inde deni-*

que conversatione nutritis eximia puero pernicitas fuit, inquit, interque cervorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate peragravit. Habis ergo iste e cervæ lacte cervinam ad currendum velocitatem acquisivit; quid dicemus de sancto nostro patrono Ægidio, qui et ipse lacte cervæ diu in silva enutritus fuit. Numquid non et ipsum cervi velocitatem ad currendum adeptum esse asseremus? Utique profecto; sed quia cerva illa divino beneficio in nutricem illi data fuit, inde S. Ægidius non ad montes et saltus, sed ad regnum cœlorum et justitiam ejus currendi virtutem accepit, ut posset dicere cum psalmista: *Perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa stans tuens me*: Psalm. XVII. Nos omnes in stadio curramus, I. Cor. IX. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium: sic currite ut comprehendatis*. Igitur ut patroni nostri velocitatem imitari pro viribus possimus, et super excelsa statui, contendamus etiam sugere lac de cerva ejus. Eo nos detur mittere Sapiens, Prov. V. ubi ait: *Cervæ charissima: ubera ejus inebriant te in omni tempore*. Prorsus charissima, si quæde lac Ægidio dedit, nobis quoque offerat. Quodnam vero illud? Præclara doctrinæ, quas a cerva Ægidiana haurimus.

I. Videte et a cerva ista discite, quam sit bonum Dei voluntate ac præceptis per omnia obedire. Ecce enim cerva ista servit Ægidio pro matre seu nutrice; ad quem statis temporibus venit, et ubera ei præbuit: fugit interim regem Franciæ, ac totam ejus aulam. Ecce vero, nisi quia Ægidius vir sanctus, Deo per omnia obediens fuit, rex (saltem eo tempore) cum suis non item? Quamdiu Adam in paradiso innocentiam suam servavit, Deoque obediens fuit, tamdiu et animalia omnia ad nutum ei parvere; at ubi is sprete Dei voluntate, suam fecit adeoque innocentiam perdidit, tunc et bruta animalia rebellare ei cœperunt. Hinc quam plurimi sancti, qui vitam prorsus innocentem duxerunt, imperium hoc in animalia iterum receperunt; uti Noe in omnia animalia suæ arcæ, Daniel in leones, S. Franciscus in pisces et aves, et nostro ævo, Josephus Anchieta in Brasilia, qui avibus quaracis dictis præcepit, ut sibi navigantibus umbram facerent: avibus aquatilibus, ne pisces captos evaderent: pantheris duabus ut se monstrarent: simiis ut interfectos suos exequis, saltibus et lamentis sepelirent, ad nutum ei paruerunt, (ut in ejus vita Sebastianus Beretarius, lib. IV.) alique ut dixi alibi. Imo: « Si voluntati Dei obtemperares, ait Origenes, hom. V. in Exod. c. XIV. sic legem ejus sequaris, ipse tibi elementa etiam contra naturam suam servire compellet. »

Quo modo scilicet mare se divisit ad imperium Moysis, Exod. XIV. *Petra aquas dedit, etc.*

Pari ratione magistratus habebit obsequentes sibi subditos, quamdiu ipse obtemperabit Deo. Ita enim loquuntur subditi Hebræi ad Deum suum Josuen: *Omnia quæ præcepisti nobis, faciemus et quocumque miseris, ibimus: sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi, tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moysse*, Jos. I. Patet in Salomone, qui quamdiu Deo obtemperans fuit, omnes sibi subditos obtemperantes habuit; ubi vero Deo rebellem se exhibuit, sensit sibi rebellare servum suum Jeroboam, una cum decem tribubus, adversari quoque vicinos reges, auditque a Deo: *Quia non custodisti pactum meum et præcepta mea, quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo*, III. Reg. XI. Sic et S. Ambros. lib. V. ep. XXXIII. scripsit Valentiniano imp. *Si vis diutius imperare, esto Deo subditus*. Iniquum est a subditis requirere, quod quis suo superiori non præstat. Contra vero subditi timent dominum suum, quem Deo cordi esse vident.

II. Videte et a cerva hac discite, quanto jure divites obligentur ad faciendam eleemosynam. Ecce enim cerva ista, quæ ubera lacte impleta habebat, quia vel hinculum non habuit, vel si habuit, nihilominus lac redundans habuit, esurienti Ægidio id communicavit. Quid sunt, quæso, divites nisi cervæ lacte divitiarum prægnantia ubera gerentes? Et quo fine ea acceperunt, nisi ut pauperes alant? Quid sunt nisi nubes aquis plenæ, ut sitientem terram rigent? Ita enim Ecclesiastes, c. XI. ait: *Si repletae fuerunt nubes, imbrem super terram effundent*. Non enim propter se, sed propter terram irrigandam coguntur et circumferuntur imbriferæ nubes. Sic etiam persuasum habere divites habent, divitias ipsis non propter se, aut propter corporis sui abdomen, fastum et luxuriam, datas, sed ad sublevandam pauperum inopiam. « Accepisti, inquit D. Chrysost. hom. XXXIV. ad populum, non ut in deliciis absumeres, sed ut in eleemosynam erogares: » et S. Leo, serm. de collectis: « Idcirco Deus te abundare voluit, ut per te alius non egeret. » Jam sicut in magna siccitate terræ avidè expectamus nubem roridam, ac si ea prætervolet, nec pluviam in nos effundat, dolemus et ingemiscimus: ita pauperes, quando vident adventantem divitem, gaudent, et expectant ab ipso eleemosynam. At si spe frustrati videant eum prætereuntem, nihil ab eo accipientes; cogitate, quam acriter hoc sentiant, quamque ingemiscant! Quod si nubes illa tonaret tantum, et fulminaret, pluviam interim non daret, gravius adhuc sentiremus: similiter, si dives cæ-

lumniaretur pauperem, aut verbis asperis objureret, nec interea juvaret, qui pauperes id ferent; nubes super bonos et malos fundit aquas suas, sic etiam dives omnibus aperiat misericordiæ suæ viscera.

III. Videte, et a cerva hac discite, quam non deserat Deus eos, qui ipsi serviunt: et qui aliquid ipsi dederunt. Etenim Ægidius, priusquam ætatem virilem intraret, omne patrimonium suum in pauperes erogarat, et pauper Deo servire cœperat. Quis non diceret: Iste adolescens jam peribit, et fame morietur, præsertim in tam vasta solitudine? At ecce, Deus paravit ei cervam, quæ eum lacte suo aleret. Nimirum bene Ecclesiastes, ut diximus, eleemosynam comparavit pluvie, pauperes terræ aridæ, divites vero nubibus. Quemadmodum enim terra semel irrigata vapores subministrat nubibus, e quibus illa rursum imbrem terræ infundant: ita, ut inter cœlum et terram quædam videatur esse concertatio, uter vincat, cœlum pluendo, an terra, quasi gratitudinis ergo, vapores reddendo: pari modo, quod opulentus homo impendit egenis, iterum ab his redit ad divitem, non sine fœnore; hoc tamen discrimine, quod sicut terra visibiliter e cœlo compluitur, at vapores invisibiliter, aut saltem vix sensibiliter, e terra ad cœlum redeunt: ita divitis eleemosyna videtur, ac sensu percipitur; eleemosyna vero fructus non videtur. Nam vel spiritalis est, et sub sensum non cadet; vel si corporalis est, communiter etiam minus attenditur et sentitur; qualis est prolongatio vitæ et diuturna sanitas, pax, pii liberi, conservatio et augmentum honorum temporalium, proventus agrorum ac vinearum, etc. Talis concertatio cum Deo enituit in Leontio Neapoleos, in Cyro episcopo, qui cum insigni animi exultatione aliquando inventus est cum Deo colloquens: *Si sic, aut tu mittendo, aut ego dispergendo, videbimus quis vincat*. Simili modo certavit aliquando cum divite quodam Alexandrino S. Joannes eleemosynarius. Ille enim dives cum misisset Joanni vestem, seu, ut alii volunt, lecti operculum, Joannes ad forum vanum misit, ut pretium pauperibus daret. Emit is, qui donarat, et iterum Joanni mittit. Is rursum ad forum mittit, alter rursum emit, et Joanni remittit, idque cum sæpius faceret, Joannes: *Videamus, inquit, qui ex nobis prius defatigabitur, ego quidem ipsum vendens, tu autem emens et offerens*, in vita Joannis eleemosynarii, Joan. XXIII. cap. XXIV.

IV. Videte, et a cerva discite, quid nobis aliquando eventurum sit in articulo mortis; id nimirum, quod huic cervæ contigit, quando a canibus agitata, et undique cincta, atque allatrata,

mugit, et invocatura opem Ægidii ad antrum ejus confugit. Ita enim in articulo mortis circumdabant nos canes illi tartarei, qui, ut timendum, undique circumstant et allatrabant, et forsitan infigent diros ac tremendos morsus; qualis est timor instantis mortis et judicii, amor charorum jamjam deserendorum, vita male acta, dolores corporis, etc. præsertim, si in malo animæ statu fuerimus. Vidit et deploravit hoc aliquando S. Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis, ad villam suam Heysem equitans: quando pueri ejus leporem, forte deprehensum, canibus insecuti sunt. Lepus, cum jam fugæ locus non esset, cepit se infra equum S. Anselmi, ubi firmante equum episcopo, canes leporem undique latratibus impetierunt, lædere tamen ob sancti preces non poterant. Rident ad spectaculum famuli, sanctus vero in lacrymas solutus: « Ridetis, (inquit) at vero infelici huic lepusculo nullus risus, nulla lætitia est. Hostes ejus circa eum sunt, et ipse de vita sollicitus confugit ad nos, presidium flagitans. Hoc plane est et animæ; nam cum de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt crudeliter adsunt, parati eam rapere, et in mortem æternam præcipitare. At ipsa nimis anxiosa huc illucque circumspicit, et qua se tueatur, defensionis et auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit. Demones autem e contrario rident, et magno gaudio gaudent, si illam nullo fultam adminiculo inveniant. » Sic discessit, et canibus bestiam persequi prohibuit, quæ mox ad silvas cucurrit, in ejus vita 21. apr. cap. XXI. Hujus igitur ærumnosi temporis sedulo meminimus, juxta id Ecclesiastici XI. *Si annis multis vixit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis*.

V. Videte, et a cerva hac discite, quorsum nobis in tribulatione confugiendum sit. Ita nequaquam, pedum suorum celeritati confisa, ad montes vel aquas aut densa dumeta se recepit, sed ad tutorem suum Ægidium, ejus opem mugitibus invocans. Id quod etiam alii cervi dicuntur facere, ut in necessitate positi ad homines confugiant. Sic ergo et nos in tribulatione non ad proprias aut aliorum hominum vires, sed ad divinam opem recurramus, et si propriis meritis diffisi Deum ipsi adire non audemus, ad sanctum aliquem convertamur, ejusque merita interponamus. Ita Jobo in tribulatione posito consuluit Eliphaz: *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere*, Job. V. hoc est, (ut S. Thomas explicat): *Invoca Deum si forte tibi ad hanc dubitationem respondere voluerit: et sic per merita pro-*

pria hoc a Deo obtinere non putas, ad aliquem sanctorum convertere, ut eo mediante hujus rei veritatem a Deo cognoscere possis, Jacob, Gen. XXVII. quia in propriis vestibus benedictionem a patre obtinendam non sperabat fratris sui primogeniti, patri perchari, vestes valde bonas et odoriferas induit; ita benedictionem non suo, sed fratris nomine obtinuit. Nos etiam, quia propriis meritis fidere non audemus, merita alicujus sancti, Deo valde chari, imploremus et sub ejus nomine ad Deum accedamus.

Porro, majores nostri vestem S. Ægidii induere voluerunt, et sub ejus patrocinio accedere ad precandum Deum; non una, ut arbitror, de causa. Nam imprimis ipse, adhuc puer, ad templum vadens, cum ægrum humi jacentem et petentem eleemosynam vidisset, lacerum sua veste induit,

AUCTARIUM.

CONCIO I.

MIRUS VENATOR S. ÆGIDIUS.

I. Fugiendo prædam cepit. — II. Prædam e retibus suis exclusit atque ejecit. — III. Vulnere non infulxit, sed accepit. — IV. A cerva non nisi lac accepit. — V. Pauperibus loco canum prædam comprehendit.

THEMA.

Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.
Gen. X.

Cervorum venationi hodierna S. Ægydii dies, communi venatorum lege, finem imponit, ideoque venatorum quin et cervorum patronus habetur. Et jure quidem, meo judicio. Nam ipse in silvis una cum cerva vixit, ejus lacte se pavit, a canibus eam defendit, denique velut venator precibus a sanctitate sua cepit, cicuremque reddidit; ut vere ipsi applicare possimus id proverbium, Gen. X. Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit Nemrod robustus venator, sed magis coram hominibus quam coram Deo: cujusmodi venatores plerique sunt in modo, qui temporalia bona venantur. Atqui S. Ægydii vere coram Deo robustus venator fuit, qui prædas suas non in terra, sed in cælo indagavit; unde factum ut non solum cum viveret, coram regibus in honore esset, sed et nunc post mortem coram Deo et omnibus cælitibus, adeoque toto mundo. Verum ut hanc

adeoque mox sanavit. Potuit hoc puer in terris constitutus: non poterit nos operire veste sua, et sanctitate donare regnans in cælo? Deinde, qui cervam ad se confugientem tutatus est a canibus, ut ne prope quidem accedere possent; non faciet hoc Christianis et suis clientibus? Canes non persequentes sunt Turcæ et hæretici, sunt grando et tempestas, sunt fames et pestilentia, sunt dæmones et peccata. Contra istos igitur ut nos defendamus convertamur ad S. Ægidium, ad ejus umbraculum fugiamus, cum ipsius cerva mugiamus et miserias nostras ei conqueramur. Aderit ipse velut advocatus et defensor noster præsertim, ut speramus, in articulo mortis, velut patronus noster contra canes illos tartareos, ubi perficiet pedes nostros sicut cervorum, suoque patrocinio super excelsa statuet nos.

prædam assequeretur, non venatorum hujus sæculi, sed aliam longe ac contrariam venandi rationem tenuit; ut videbimus.

I. Venatores alii persequendo capiunt feras; sed non ita S. Ægydii, qui fugiendo prædam cepit. Venatores mundi miro modo laborant, ut gloriam sibi parent, sed non assequuntur, nisi forte vanam et momentaneam coram paucis. S. Ægydii, fugiendo vanam gloriam, comparavit sibi veram et immortalem gloriam: *Contemne gloriam, et eris omnibus gloriosior*, ait S. Chrysostomus, hom. IV. in Matth. Honor est instar timidi canis; insequeris illum, fugit; fugis illum, insequitur. Sic honor episcopalis S. Silvestrum, Gregorium, Augustinum, fugientes secutus est: fugit alios insequentes. Hanc ad honores consequendos viam, scilicet, docuit nos Christus, dum ne raperetur ad regiam dignitatem, fugam cepit: inde exaltari meruit, et accipere nomen super omne nomen. Hunc secutus noster Ægidius, magnus coram Deo et hominibus evasit. Solent feræ, cum in latibulis suis deprehenduntur a venatoribus, alio migrare: uti læna illa, quæ in antro quodam a Malcho monacho inventa, illico catulos suos mordicus prehensos in aliam specum extulit, teste D. Hieronym. in vita ejus. Pari modo Sanctus Ægidius, e regia stirpe factus humilis, ubi miracula patrare, fama que coruscare cœpit, ne stygio venatori præda ipse fieret, mox alio se contulit; Athenis in Galliam ad S. Cæsarium, inde ad Veredemium eremicolam, ubi rursus

proditus inde in densissimam eremum, ad Rhodani ostium confugit. Moyses a filia Pharaonis Thermut, nupta sed sterili, adoptatus et regie educatus ut esset regni hæres, quid egit adhuc puerulus? Coronam a rege sibi comiter impositam de capite prolabi passus, pedibus, calcavit, teste Josepho, l. II. antiquit. c. V. Grandior autem factus, profugit ex aula ad Hebræos, inde in Madian, negans se filium Pharaonis (ex Philone, l. de Moyse, et apostolo ad Hebr. XI.) eligens magis affligi cum populo Dei, ibique dum honorem fugit, ad maximum evehctus, et deus Pharaonis constitutus est. Hæc igitur via, hæc industria est venandi veros honores, fuga honorum; quam tenuit et Ægidius.

II. Venatores alii feras in retia cogunt: S. Ægidius e contra prædam e retibus suis exclusit atque ejecit. Ridetur in proverbio simplex quidam rusticus, qui in venatione vulpium lepores reti implicitos ejecit dicens, non institutam venationem pro leporibus. At hoc egit S. Ægidius, sed omnino sapienter. Nam opes et munera sibi a rege Clodovæo amplissima oblata aversatus, respuit ac rejectit; monens regem, ut ea egenis potius aliis conferret, vel inde monasterium conderet, in quo servos Dei cælestibus ornandos disciplinis congregaret. Periculosa præda sunt munera, quæ capientes se capiunt, ad instar illius arcæ ornatissime et elegantissime elaboratæ, quam Typhon Osiridis, regis Ægypti, frater, ad eum capiendum regnoque exuendum fieri curavit ea longitudine, qualis erat Osiridis. Hanc enim in convivio inter pocula allatam cum convivæ admirarentur, promisit Typhon se dono daturum illi, qui longitudinem ejus exæquaret. Cumque varii subintrassent, nullique quadraret, Osiris tandem et ipse in eam procubuit. Mox Typhon cum subornatis suis operculo arcam clausit, clavis affixo et plumbo liquido superfuso, fratremque inclusum in Nilum projecit, Plut. in Osiride. Hunc in modum munera fortiter alliciunt, ut in causam offerentis turpiter te demittas; sed dum offeruntur, auferunt; dum capiuntur, capiunt. Sensit id Balaam ille, quando legati Balac ad eum venerunt: *Habentes divinationis pretium* (Hebr. habetur *divinationes*, quia scilicet ipsa pecunia incantare solet eum, cui offertur) *in manibus*. Ea enim illecebra tandem victus, malum dedit consilium regi Balac contra Hebræos, Num. XXIV. sed sibi pessimum; quia inter Madianitas ab Hebræis occisos et ipse occubuit. Quicumque igitur sapuerunt, munera excusserunt; quod præstitit noster Ægidius, exemplo magni illius Abrahæ, qui oblatam sibi prædam a rege Sodomorum, licet sua manu ab hostibus recupe-

ratam, respuit; ita ut nec filum subtegminis, aut corrigiam caligæ, seu minimum quidpiam accipere vellet, ne dicere possit rex: *Ego ditavi Abraham*, Genesis XIV. Quare in mercedem tantæ continentiæ, mox illi Deus dixit, c. seq. *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*.

III. Venatores alii vulnerando, jaculando, et venabulum infigendo, prædam venantur. Contra S. Ægidius vulnus accipiendo, idque purulentum conservando, et medicinam respuendo, coronam in cælo sibi comparavit. Venatores mundi prædam ex vindicta et jugulatione quærunt; sed nil assequuntur, nisi perniciem et ignominiam suam. Sic Pharaon, dum insequitur Hebræos, dicens: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; dividam spolia, implebitur anima mea, etc.* demergitur cum exercitu suo in abyssum maris. Georgius Fraispurgius hæreticus, Caroli V. inter Germanos milites in Italia dux, laqueum unum inauratum in sinu secum Romam gestavit, quo summum pontificem, alios purpureos, quibus cardinales manu sua suspenderet, quod erat comminatus; spe tamen sua delusus, in paralytin incidit, Jovius, lib. VI. elogior. viror. bellic. Non hoc Christus docuit, sed e contra: *Mitto vos sicut oves in medio luporum*: ait item: *Non veni pacem mittere sed gladium*, Matth. X. non ad infigendum, sed excipiendum, uti mox explicat. Hanc doctrinam secutus est S. Ægydii, vulnus ita accipiens, ut curari nollet. Secutus Simeon Stilites, qui cum in pœnam alicujus levis peccati per annum in uno pede stetisset, vulnus accepit in femore vermibus scatens, ita ut inde exidentes, subinde in terram caderent. Quid ille? Jussit sibi eos iterum sursum porrigi, et reposuit in ulcus, dicens: *Manducate quod vobis Dominus dedit*, ut refert Antonius ejus discipulus, apud Rosweid. in vitis pp. Conformiter illi, quod habetur Habacuc III. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, et subter me scateat* (scilicet vermibus) *ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum*, id est, ad sanctos in fasciculo viventium colligatos, quasi diceret: Vermes illi devorabunt peccata mea, et lectum mihi in cælo suavissimum parabant, plumarum instar futuri.

Quare si quis te vulneravit sagitta alicujus probrî, contumeliæ, derisionis, detractionis, etc. si te ipsum vindices, aut famam tibi restitui contendas: si læsus forte in corpore, vel fortunis tuis, par pari referas, aut damnum tibi resarciri facias, lucraberis aliquid in terra, sed perdes aliquid in cælo, quod alioquin lucratus fuisses, longe excellentius. Vicissim si injurias patienter feras, partim aliquid dammi accipies in terra, et prædam ingentem comprehendes in cælo. Hinc apos-